

vare, manuteneere de cetero, & defendere tanquam suos cives bonos, & specialissimos, & specialiter de omni guerra, quam haberent, vel facerent voluntate Aquensis potestatis, vel consulis, sive rectorum Aquis habito consilio inde per campanam sonatam, nec aliter eos ultra quam alios cives Aquenses in aliquo compellere: & totius sic observandi totum consilium utrumque attendere, & observare bona fide tactis Evangeliiis in perpetuum jurat, & quod non coget illos, aut aliquos sine eorum voluntate, ut veniant habitare Aquis; & neque castrum, seu villam Meladii destruere, & quod adjuvabunt eos omnes, & eorum heredes, ut neque Aquensi Episcopo aliquo in tempore ultra voluntatem fodrum dent, neque solvant; alioquin prout melius poterunt pro eis hominibus satis facere, vel comunititer cum ipsis solvere (*curabunt*): & hoc totum in integrum observari, & jurari facient in plena concione Aquensi, & a consulibus, & consilio Papiæ facient confirmari cuncta infrascripta: potestas, & consilium totum, & dicti omnes ut supra, & infra hanc cartam fieri, & scribi jusserunt.

Præterea die Sabbati XIX. mensis madii in palatio Papiæ D. Valerio de Caneva nova, Gullielmo Rabia, & Jacobo Butigella tunc existentibus consulibus communis Papiæ, tota credentia ejusdem civitatis præsentem in unum collecta per campanam, infrascriptus Petrus Niger, & Aquensis potestas ex parte Aquensis communis notificans pactum, & concordias, seu promissiones factas, & confirmatas inter Aquenses, & homines de Meladio, afferens quoque se, & consilium Aquense teneri facere, confirmare a consulibus, & consilio Papiæ: hoc totum tam consules, quam consilium totum ut supra approbavit, & confirmavit jubendo hanc inde cartam scribi. Ego Ogerius Pal. Not. interfui, & hanc cartam scripsi.

(1) *Hujus fœderis tabulas jam edidit Malacarne Ozj lett. t. 2. p. 247., sed adeo imperfecte, atque corrupte, ut & plusquam dimidia pars eorum, quæ hic habentur, ibi desit, & ea quæ protulit, quandoque sensu omni careant. Inter multa errata, quæ data opera omittimus, unum seligimus, quod & maximi momenti est, & facile in mendoso etiam exemplari adverti poterat, atque nota temporis est, quæ sanari aliter haud potest, nisi addito nonas vocabulo.*

*Juramentum Ugonis Ep. Aq. de pace cum Papiens. & Aquen. servanda nunciis Mediolanensibus præstitum.*

128

MCCVII.

In nomine Domini. Amen. Anno Dominicæ Nativitatis MCCVII. die Jovis IX. mensis augusti, indictione X. in territorio de Bassignana in pratis, quæ sunt juxta mansionem de rivo de Pulverio coram D. Arnaldo de Bombello, & D. Arnaldo de Superaquas Ambaxiatoribus communis Mediolani ad hoc specialiter designatis, ipsi D. Arnaldo de Superaquas concionante, & de voluntate, & consensu prædicti D. Arnaldi Bombelli, & eo præsentem, & ordinante juravit ad sancta Dei Evangelia D. Ugo Aquensis, & Alexandrinus Episcopus

pacem, & concordiam Papiensibus, & hominibus Aquensis urbis, & eorum partibus per se, & suos homines suæ partis, sicut per omnia continetur in scripto uno, cujus tenor talis erat. In nomine Domini amen. Super discordiis, quæ vertuntur inter Aquenses, & Papienses ex una parte, & Alexandrinos, & Episcopum ex altera talis est concordia videlicet: ut unio, seu concordia facta per Dominum Papam Innocentium secundum privilegium ipsius Domini Papæ, sive secundum modum ipsius privilegii perpetuo firme servetur, & illibate. Item castrum de Castelletto reddatur Episcopo Aquensi, priusquam pax fuerit, & jurata, ita tamen quod hominibus ipsius castri fiat finis, & pax de omni eo, quod occasione illius castri fuisset factum, & quod factum dici potuisset de illo castro, vel pro illo castro hinc retro. Item de omnibus maleficiis inter ipsas partes usque nunc habitis, vel factis, vel de omnibus damnis datis ab una parte in aliam fiat finis, & pax, & refutatio. Item hominibus Vidixoni, & Cavatorii, qui iverunt habitare in civitate de Aquis a tempore præsentis guerræ infra, remittantur Sacramenta, quæ fecerunt Aquensibus, & ab illis Sacramentis absolvantur omnino, & sit illis hominibus Vidixoni, & Cavatorii liberum arbitrium habitandi, seu domicilium mutandi ubicumque voluerint sine alicuius partium impedimento, & contradictione. Illa quoque jura, quæ Dominus Episcopus habet in prædictis locis, vel eorum territoriis debent habere quiete, & illi homines eorundem locorum similiter sua jura, quæ in iis locis vel eorum territoriis habent, debeant habere quiete, & si inde lis esset, vel discordia, debeat esse in communi Mediolani ad cognoscendum, vel decidendum jure, vel per convenientiam, quæ fiat voluntate partium, quæ cognitio litis debeat esse visis discordiis in loco Cassini, vel alibi, si partibus placuerit fore cognoscendum. Duo viri eorundem locorum veniant ad causam pro se, & reliquis ubi fuerit locus statutus voluntate partium sine dispendiis judicaturarum, & victualium potestatum, & servientium suorum. In hoc quidem promittit commune Papiæ, quod non præstabit consilium, vel auxilium alicui hominum ipsorum locorum contra cognitionem, vel sententiam Mediolani, vel Aquensibus, vel aliis subvenientibus, vel juvantibus illos, rusticis contravenientibus. Vicissim Alexandrini promittunt non præstare juvamen, vel defensionem, vel consilium Episcopo, nec suo successori, neque Episcopatu, neque subvenientibus, nec juvantibus Episcopum contra cognitionem, vel sententiam Mediolani, & insuper omnia jurabunt Aquenses omnes ab annis quatuordecim supra, & a septuaginta infra, quod sic erit observatum, nec adjuvabunt ipsos homines de Vidixono, & Cavatore, si voluerint venire contra cognitionem, & sententiam Mediolani. Prædictam pacem, & concordiam, & unionem jurent attendere Aquenses principaliter pro se, & sua parte Domino Episcopo, & Alexandrinis, & eorum parti. Ex altera parte Dominus Episcopus principaliter Aquensibus, & Papiensibus, & eorum parti toti pro se, & suam partem, & ejus successores. Præterea Papienses